

687

CODICES

688

cujus T. III. col. 160. si lubet,
adi.

CCXIX. VI. F. 10

394 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 57. 4. nitide scriptus, titulis omnibus miniatis, olimque pertinens ad *Librariam Capituli Ecclesie Ratisponensis* complectitur: I. D. *Augustini Libros II. Retractionum* praemisso *Capp.* Elencho eodem prorsus, quem praeferunt Editi T. I. *Opp. Paris.* 1689. *Incipit. Liber. Primus. Jam diu est ut facere cogito atque dispono quod nunc adiuuante domino adgredior &c. Finis Operis: alios a me dictos retractare cepissem.* Adcuratio Scriptoris est infra calami elegantiam.

II. fol. 46. p. 2. *Incipit eiusdem epistola ad optatum episcopum.* Initium: *Domno beatissimo et sincera dilectione desiderabili fratri et coepiscopo obtato in domino salutem. Quamuis tuae sanctitatis nullas ad me ipsum datas acceperim litteras &c.* Agit de Origine Animae, et est in *Edit. suprac.* T. II. col. 700. *Epistola CXC.* Integra in *Cod.* Textusque sat castigatus.

III. fol. 52. p. 2. *Incipit eiusdem Sancti Augustini Liber de Diuinatione Demonum.* Initium: *Quodam die in diebus sanctis octauarum cum mane apud me adessent multi laici christiani &c.* Legitur. T. VI. col. 505. correctius. Finis: *quantum dominus adiuuat respondebimus.*

IV. fol. ult. p. 2. *Incipit questio de magis faraonis eiusdem sancti augustini.* *Traetat Augustinus differentiam Potestatis Sanctorum et Magorum in edendis Miraculis in Lib. de divers. Quaestionibus LXXXIII. Quaes. 79. T. VI. col. 69.* Sed ibi verba *Codicis* non inuenio, quamvis sententia concordet. Videtur igitur quispiam mentem tantum *Augustini* adnotare et exponere voluisse in hunc modum: *Non oportet moueri cum magicis artibus miracula fiunt &c.* Lineas 16. non excedit haec Adnotatio.

CCXX. VI. C. 13

Codex membraneus lat. Sec. 139 XI. Folior. 149. f. per duas columnas eleganter scriptus, rubricis distinctus, bonaeque notae comprehendit *S. Augustini Hipponensis Ep. Confessionum Libros XIII.* hoc titulo literis quadratis minio exarato: *Incipiunt Libri Confessionum Aurelii Augustini.* Initium eodem scripturae genere: *Magnus es Domine et laudabilis ualde. Magna uirtus tua &c.* Finis Libri I. *quia et ut sim tu dedisti michi. Explicit Liber Primus Confessionum. Incipit liber Secundus.* Et sic initia, clausulaeque Librorum per totum caractere quadro. Lectio sincera et plerumque cum *Mauriana* edit. *Opp. Augustini T. I. Paris.* 1689. col. 69. conspirans; loco tamen illo vexato L. VIII. c. 3. col. 146. ubi *Mauriana* *Codices Anglicos* secuta habet: *inspirabat populo*

pulo jam, noster nil fanior aliis vetustioribus legit: *spirabat populiostiam*. Contra vero, ubi *Mauriana* cum omnibus subpetiis suis *Librum X.* sic inchoat: *Cognoscam te genitor meus, cognoscam sicut et cognitus sum*, noster evidenter cum *Augustino* melius: *Cognoscam te cognitor meus &c.* Finis Operis absque alia subscriptione: *Sic inuenietur. Sic aperietur. Amen.*

Folium Cod. ultimum negligendum non videtur, quod, utut multum ab aevo passum, columnae 2. principio mutilum, tituloque ipso paene extritum fit, ita restituere conatus sum: *De ecclesie DCCCCLVI. Lipsanis Iste fuerunt in Pignore V. Idus Maii. Indic. XIIII.* Quinque priores *Indiculi* lineae fugere. *Capsus argenteas deauratas IIII.* unam ex ipsis non habent uitree gemme. *V. Cruces lig. de argento paratas II.* *Crucifixum minor. arg. I.* *Crucem mai. de auro cum gemmis I.* *Crucem minore aurea cum gemmis et margaritis I.* *Cruces cum gemmis deauratas III.* unam habet minus gemme. *crucicolas cum smalte (encausto) II.* *Cruciculas minores de argento V.* *Nusca (fibula) aurea cum cruce aurea I.* *Lampadas arg. III.* *ereas deaurata I.* *Coronę argenteę desuper altare III.* *Conca argentea I.* ista tulit *domnus episcopus.* alias coronas argenteas cum catenulis et delfinis suis *VIII.* et nonam maiorem habet delfinos *XVI.* sex ex ipsis coronas habet delfinos *XII.* duas ex ipsis coronas habet delfinos *XI.* altarium *I.*

Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

unde est perditum arg. *petia I.* *Coronas ereas VIIIII.* et ipsas coronas habet minus delfinos *VIII.* *Coronas cursorias III.* *pendentias ferreas VI.* *Candelabri argentei IIII.* *Erei deaurati II.* *ferrei II.* *urciolum er — — erea I.* *turibulum argen — — Alium deauratum maiorem I.* — — *domnus episcopus.* minus habet pedes — — *ereum I.* *Buxile (Pyxis) arg. I.* *scyphus cum patena sua.* *Capsella eream deauratam et deargentatam I.* *Turre arg. cum patana sua I.* *Calices arg. IIII.* cum patan. suas. *Caciolas da prunas (acerras) I.* *Pipas argen. II.* *Scias (Ascias? vel Cola?) arg. II.* *Amulas (Vascula vinaria pro oblationibus) arg. I.* *Erea I.* *Tabulas eburneas paria II.* *Missalia III.* *Scarapsi (vel Scarps, Excerpta ex libris) VIII.* *Lectionarium I.* *Planetas XXI.* *Camistas (Albas) XXIII.* cum cingulos *VI.* *Orarios (Stolas) V.* *Alium orar. cum auro I.* *Mapulas auro texte XI.* *Alias mapul. sirico (serico) paratas XVI.* *Manicas siricas paria II.* facit ergo *IIII.* *Fucialia (Sudaria) VI.* *Corporalia V.* unum ex ipsis est cum lista. *Dalmaticas diac. III.* *Subdiac. II.* *Tapedos mai. III.* *Minores VI.* sextum est perditum. *Arcas II.* *Ara de circa altare (Antependium) III.* *Aras maj. II.* *Min. I.* *Tapedum de ante hostium I.* *Coopertorii sirici III.* *Pallei desub arc. XX.* *Petia mai. I.* *Palleos fimbriatos III.* *Purpureum I.* *Storace — Pann. sirico desuper lectorio (pulpito) I.* *Munomerio pallium I.* *Antonii episcopi*

X x

pi

pi palleum I. Pro filio regis pall. I. Valtefrit comitis palleum I. Haftenus Indiculus, quem ad Ecclesiam aliquam Brixianam arbitrator pertinere. Sedit enim ibi ab an. 947. Antonius, ut tradit ad hunc Annum Sigonius L. VI. de Regno Ital. Ceterum Berengarius cum Ecclesias distribueret, Josepho Brixiae Episcopo spectatae prohibitatis viro sede sua remoto Antonium, nullo Episcoporum consilio adhibito, novo exemplo substituit. Berengarium hunc II. una cum filio Adalberto, quem per Filium Regis intelligo, Regem Italiae dictum omnia sacra profanaque miscuisse, testis est idem Sigonius L. eod. ad an. 953. Agapitum Pontificem, Episcopos, Abbates Comitesque Italiae in ordinem cogere, vexare, atque omni demum injuriarum genere incessere insti-

tit, ita, ut neque fortunis atque dignitati ullius parceret, verum apud omnes insignis avaritiae atque superbiae exempla relinqueret. Sigonio consentit Jac. Malvecius in Chronico Brixiano Distinct. VI. c. 9. in Muratorii Scriptt. Ital. T. XIV. col. 867. Ob quantas ille ruinas Italiam attulit! Populos tyrannica oppressione vexabat: nulla sibi pacis forma placebat, alebat odia, guerras excitabat, nullus ei justitiae amor erat &c. Quam primum, ut in hujusmodi calamitatibus Ecclesia Brixiana vel ad placandos Berengarii exactores, vel ad avertenda graviora partem sui ornatus obpignerare debuerit. Accedit, Codicem nostrum e Veneta ditione ad nos demigrasse. Invenio enim praeter duos Francisci Petrarcae versus:

*Huc celer ad fontem deserta per arida pergat,
Quisquis eget lacrimis, quibus impia crimina tergat,*

Confessionibus S. Augustini subscriptum: Liber mei Fantini dandulo de venetijs. Atque ut de celebri isthoc Possessore, quem neque apud Fabricium, nec apud Jöcherum reperias, aliquid addam, Patritius Venetus fuit, an. 1445. ab Eugenio IV. Cretae Archiepiscopus constitutus, indeque post mortem Petri Donati ad Patavinas infulas translatus, quo in munere 1459. diem clausit. Vitam ejus dedit Job. de Augustinis Scriptt. Venetor. T. I. p. 1. Praeter Sermones nondum impressos reliquit Compendium pro Catholi-

ce fidei instructione, quod subin typis goth. f. 1. et a. 4. editum Jac. Visser in Naamlyst van Boeken Amst. 1767. p. 62. Mathiae Goes typographo Antverp. adjudicat, sed J. Bened. Mittarellus in Append. Biblioth. San — Michael. Venet. 1779. col. 134. f. verius Reynaldo de Novimagio tribuit, ex cujus officina Veneta unacum Bartholomaei de Chaimis Confessionali annum 1486. aperte praeferente prodiit, a quo tamen divelli facile potest.